

pti & adscensu insuperabiles montes erant. Ante
pedes mare Ægyptium, quod transiri omninò
non poterat. Moses v. precibus hoc impetravit à
DEO, ut aquæ marinæ diffugerent, atq; utrimq;
in murorum altissimorum speciem erectæ atq;
exaggeratæ (ò miram DEI potentiam!) consiste-
rent, & sancta DEI gens sicco pede transiens in ul-
teriore ripam salva ac incolumis perveniret;
Contra ea, hostes Ægyptii, refluentibus in pristi-
num locum undis, ad unum omnes obrueren-
tur, & ita obruerentur, ut ne nuntius quidem tan-
tæ cladis superesset. Pro qua verè mirabili victoria
grato animo & ore universa illa gens ἐπιπέκλιον
DEO cecinisse legitur. Cum nefario Hamani con-
silio ac instinctu Aasvverus Rex omnium poten-
tissimus edictum de delendâ funditùs Judæo-
rum natione ad omnium provinciarum suarum
præsides misisset, certior ea de re maturè facta Re-
gina Esthera Regem exoravit, ut popularibus illi-
us parceret, & novis literis priores revocantibus
securitati illorum consulere. Quo facto cum Ju-
dæi ab extrema pernicie liberati essent, ipse verò
Hamanus suo sibi jumento pestem atq; exitium
accerisisset, publicæ ac solemnes feriæ ad red-
in-

in-